N.

Mi dilectissime frater.

Nuperrimæ tuæ ad filium Hermannum d. 26/16 Mart.
datæ, redditæ mihi sunt post discessum filii d. ult. ejusd.
mensis A.v. Pro curatis ipsi paginis desideratis Le-
xici Goliani gratias ago. Et ipse interim tibi procul-
dubio egit, ac de cæteris simul, de quibus scripseras, co-
ram inter vos actum [?]. Permisi illi iter
in Angliam, quod Deus bene vertat. An illuc jam
abeundi occasionem nactus sit, et discesserit, intelli-
gere nondum fuit post unas Amsterodamo postri-
die adventus sui ad nos datas, h.e. die abhinc duo-
decimo. Facile cogitatu est, nuncii quicquam ab ipso
nos valde suspenso animo exspectare. Tu indu-
bie (: quod rogare debueram, et rogassem datis
literis, nisi negocia impedivissent :) illum consilio
et bonis moralis [?] instruxisti, quantumque po-
tuisti, juvisti; idemque adhuc, si forte adhuc sit
vobiscum, omnique occasione ulterius facies. Superio-
re d. Martis dni D. Winckelii conjux ærumnis suis
exsoluta est, pieque in Dno obdormiit. Hodie illius
erunt exsequiæ. ita quotidie mortalitatis nræ admo-
nemur. Dn. Maresius Sylvam Ducis, et in Selandiam
excurrit invisum filios suos. Dn. Widmarius Amsterodamum
ivit, indeque forte Harderuicum petet. Dn. D. Arnoldus
Schönr, quatuor fratrum natu minimus, Harderuici
professor juris ordinarius factus est. Alius hac trans
ibat illuc concessurus. Vale, mi frater, sub tu-
tela divinâ cum tota domo salute multâ à me
et meis oes impertiti. Dab. festino calamo
Gron. d. 11/21 Apr. 1657.

T. amant.mus frater.

Fratri charissimo
Johanni Coccejo,
S. S. Th. D. et profes
sori in celeberrima
Lugdunensi Batavorum.

Leiden op Ra
penburg.